Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 1147
Quelle:
Copyright:

ſecundum pręceptum domini ut (ad) *diligendos inimicos prouocare uidemur. Fratres dilectiſſimi. Timeo ne aliqui cogitent et dicant ſe hoc nullatenus poſſe complere.* Hoc praemiſſo ſequitur prolixus locus ex *Auguſtini Sermone XLIX. de Verbis Michaeae* &c. qui legitur T. V. *col.* 275. hoc tenore: *Sed ecce tibi loquor o homo* &c. usque ad illa verba: *quae difficile donari poſſet et genu* (flexit) *fixit.* Dein reſumit Noſter: *Imitemur ergo fratres dilectiſſimi uel in quantum deus donauerit beatum ſtephanum* &c. et finit: *tu imple quod promiſiſti. Quod ipſe preſtare* &c. quae lacinia, an in aliquo alicujus *Sermone* lateat, ignoro.

IX. *fol.* 24. *Omel. in Natal. Infantium.* Initium: *Hodie fratres cariſſimi natalem illorum infantium colimus quos ab herode crudeliſſimo rege interfectos eſſe euangelii textus eloquitur* &c. Conſtat ex *Auguſtini*, *Ambroſii*, *Caeſariique* particulis, ut docent Editores T. V. *Auguſt. append. col.* 363.

X. *fol.* 26. *In Circumciſione Domini Noſtri Ihesu Chriſti.* Initium: *Et poſtquam conſummati ſunt dies octo* &c. *Quid eſt autem hoc ut octaua die circumcideretur puer ille. Puer qui erat uerbum in principio apud patrem* &c. *Quid eſt hoc ut octaua die circumcideretur quod aliud pretermiſi. Cum uerus eſſet deus et erat ſemper apud patrem. Ita erat uerus homo propter nos et ueram carnem ſuſcepit propter ſalutem noſtram et ita erat chriſtus dominus in duabus ſubſtantiis id eſt in ſubſtantia dei et in ſubſtantia hominis absque peccato.* &c. Exponuntur deinceps allegorice Circumciſio et Oblatio Turturum aut Columbarum; Chriſti item mora triduana in Templo. Rurſus denique reditur ad ſignificatus varios octavae diei Circumciſionis, ubi et de Diluvio et octo Perſonis in Arca, multis ubique Scripturae locis intextis, dum ſic finiatur: *in futuro ſeculo in quo non eſt imperfectio et ſemiplenum. Sed omnia perfecta ſunt atque plena in quo numero invenire atque deputare* (ſic) *optamus et obſecramus. Preſtante domino* &c. Neſcio, ad quem Sermonem hunc referam, ita meam in quaerendo Autore diligentiam luſit.

XI. *fol.* 30. p. 2. *Incipiunt Omel. de theophania.* Initium: *Hodierni diei per uniuerſum mundum nota ſollemnitas quid nobis afferat feſtiuitatis* &c. Legitur T. V. *Auguſtini col.* 914. Sed Codex habet: *regem nuncii terruerunt* pro *nuncio. A parte illius ſuperſtitionis* pro *a peſte. Et deſuper mittebat angelos et deorſum ad ſe homines uocabat per angelos* pro *ſurſum angelos non deſerens et deorſum ad ſe homines per angelos colligens. Nonne hoc audimus etiam nunc* pro *videmus.*

XII. *fol.* 33. *Item Omel. de epiphania.* Initium: *Intellegere poſſumus fratres kariſſimi quantam gratiam chriſto domino debeamus* &c.